

re recipit. Hieronymus (circa fin. Com. in cap. 10. Matth.) Poterat autem aliquis causari, & dicere: Paupertate prohibeor ut hospitalis esse non possim, & hanc excusationem levissimum exemplo diluit, ut calicem aquæ frigidæ toto animo potrigamus, dicens: *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, aquæ frigidæ calicem tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Frigidæ, inquit, non calidæ, ne & in calida paupertatis, & penuriae lignorum occasio quæreretur. Remigius. Dicit autem, *Minimis*, idest non Prophetæ, non justo, sed alicui ex minimis. *Glossa* (ordinaria.) Ubi nota, Deum magis ad pium affectum dan-

(1) *Al.* Ut minimi.

tis respicere quam ad quantitatem rei exhibitæ. (1) Vel minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo, & iudices erunt cum Christo. *Hilarius* (can. 10. in fine.) Vel prævident plures futuros tantam apostolatus nomine gloriosos, omni vero vite suæ opere improbabiles; obsequium quod ipsi sub religionis opinione delatum est, mercede non fraudat: nam licet & ipsi minimi essent, idest peccatorum omnium ultimi, non inania tamen in eos, etiam levia, sub frigidæ aquæ nomine designata, officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor præstitus est.

## CAPUT XI.

(a) **ET** factum est cum consummasset Jesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum.

(b) Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.

(c) Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatum? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam prophetam: hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

(d) Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.

(e) A dictis autem Joannis Baptista usque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ, & lex usque ad Joannem prophetaverunt: & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat.

(f) Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coequalibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltatis; lamentavimus, & non planxistis. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens; & dicunt, Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis.

(g) Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere poenitentiam egissent. Veruntamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remissus erit in dei iudicii quam vobis. Et tu Capharnaum numquid usque in cælum exaltaberis? Usque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Veruntamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissus erit in dei iudicii quam tibi.

(h) In illo tempore, respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam hoc fuit placitum tui te.

(i) Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

(k) Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me quia mitis sum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Rab-

(a) **R**abbamus. Postquam discipulos suos Dominus ad prædicandum mittens præmissis verbis eos instruxit, ipse etiam quod docuerat verbis, factis implevit, offerens primam prædicationem Judæis; & hoc est quod dicitur: *Et factum est cum consummasset Jesus.* Dicit autem, *Transiit inde.* *Chrysostomus* in hom. (37.) Quia enim eos misit, subtraxit seipsum, dans locum eis, & tempus facere quæ injunxerat: eo enim præsentem & curantem: nullus ad discipulos vellet accedere. *Remigius.* Pulchre autem (1) de speciali doctrina; qua scilicet Apostolos instruxerat, ad generalem transit, in civitatibus prædicando: quia in hoc de cælis ad terras descendit, ut omnes illuminaret: in quo factio monentur etiam sancti prædicatores, ut omnibus prædes studeant.

(b) *Glossa* (a) Poterat supra Evangelista quomodo per miracula, & doctrinam Christi tam discipuli, quam turbæ (2) instruebantur; nunc ostendit quomodo hæc instructio usque ad discipulos Joannis perveniret, qui ad Christum æmulationem habere videbantur: unde dicit: *Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* *Gregorius* (hom. 6. in Evang.) Quærendum autem nobis est. Joannes Prophetæ, & plusquam Prophetæ, qui veniente ad baptismum Dominum ostendit, dicens (Joan. 1.) „ Ecce „ agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: „ cur in carcere positus mittens discipulos requirit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* tamquam si ignoraret quem ostenderat, & an ipse sit nesciat quem ipse prophetando, baptizando, ostendendo, ipsam esse clamaverat. *Ambrosius* super Luc. (cap. 7.) Nonnulli autem hoc sic intelligunt. Magnum quidem ita Prophetam esse Joannem, ut Christum agnosceret, annuntiaret remissionem peccatorum futuram; sed tamen, tamquam pium varem, quem venturum crederent, non credidisse moriturum. Non igitur fide, sed pietate dubitavit. Dubitavit etiam Petrus dicens (Matth. 16.) *Proptius tibi esto Domine: non fiet hoc.* *Chrysostomus* in hom. (37.) Sed non utique hoc habet rationem. Joannes enim neque hoc ignorabat, sed hoc primum testatur est dicens (loc. cit.) „ Ecce agnus Dei, „ ecce qui tollit peccata mundi. „ Agnum enim vocans, crucem divulgat; nec aliter quam per crucem peccatum astitit mundi. Qualiter autem major Prophetæ est his, si neque quæ Prophetarum sunt novit? Et enim *Esaias* (cap. 53.) dicit: „ Sicut ovis ad occisionem ductus *S. Thom. Oper. Tom. VIII.*

(1) *Al.* de spirituali. (2) *Al.* instruantur.

*Ex edit. P. Nicol.* (a) Nec in *Glossa*, nec in *Anselmo* est, ut nec apud alium Interpretem occurrit.

„ est. „ *Gregorius* in homil. (6. in Evang.) Sed aliter hæc quæstio solvitur, si gestæ rei tempus pensatur. Ad Jordanis enim fluenta postus, quia ipse Redemptor mundi esset, asseruit; missus vero in carcerem, an ipse veniat; requirit non quia ipsum esse mundi Redemptorem dubitat; sed quærit, ut sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat. *Hieronymus* (super *Tu es qui venturus es?*) Unde non ait, Tu es qui venisti? sed Tu es qui venturus es? & est sensus: Manda mihi, quia ad inferna descensurus sum, utram te etiam inferis debeam nuntiare; an alium ad hæc sacramenta missurus es? *Chrysostomus* in hom. (37. a medio.) Sed qualiter & hoc habet rationem? Cujus enim gratia non dixit, Tu es qui venturus es in infernum? sed simpliciter, *Qui venturus es?* Quamvis & derisibilis videatur quod propter hoc ei dixerit: ut & illuc abiens prædicaret: præsens enim vita, gratiæ tempus est; post obitum autem iudicium est, & pœna: quare in nullo opus erat præcurfore illic. Sed aliter. Si infideles post mortem credentes essent salvandi, nullus peribit aliquando: omnes enim pœnitebunt tunc, & adorabunt. „ Omne enim genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorum: „ *Philip. 2. Glossa.* Considerandum autem est, quod non ideo Hieronymus, & Gregorius dixerunt, quod Joannes adventum Christi in infernum prænanturaturus esset, quia ejus prædicatione aliqui non credentes converterentur ad fidem, sed ut iustis in expectatione Christi manentibus ex vicino adventu consolationem afferret. *Hilarius* (can. 11. in princ.) Certum est tamen quod qui venturum ut præcurfor nuntiavit, consistentem ut propheta agnovit, ad eum ut confessor veneratus est, ejus abundantia scientiæ error non obrepit. Nec sane credi potest, Spiritus Sancti gratiam in carcere posito defuisse, cum Apostoli virtutis suæ lumen esset in carcere positus ministraturus. *Hieronymus* (in princ. Com. in cap. 11. Matth.) Non ergo quati ignorans interrogat; sed quomodo Salvator interrogat, ubi sit Lazarus positus, ut qui locum sepulchri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, ut viderent mortuum resurgentem; sic & Joannes interficiendus ab Herode discipulos suos mittit ad Christum, ut per hanc occasionem videntes signa, atque virtutes, crederent in eum, & magistro interrogante sibi discerent. Quæ autem haberent discipuli Joannis aliquid mordacitatis ex invidia adversus Dominum, superior quoque interrogatio demonstravit cum di-

A 3

xe-



xerunt: *Quare nos, & pharisæi jejunamus frequenter; discipuli autem tui non jejunant?* Chryso-  
stomus in hom. (37.) Donec igitur Joannes erat  
cum ipsis, suadebat eis continue de Christo; quia  
autem jam erat obiturus, amplius studium faci-  
cit. Etenim formidabat, ne relinqueret in disci-  
pulis suis perniciosi dogmatis conditionem, &  
maneant abjecti a Christo, cui & a principio om-  
nes suos afferre studuit. Si autem dixisset eis,  
Abite ad ipsum, quia melior me est; non uti-  
que persuasisset, sed æstimaretur humilia de se  
sentiens hoc dicere; & sic magis essent ei affi-  
xi. Quid igitur facit? Expectat ab eis audire  
quod Christus miracula facit. Neque omnes misit,  
sed duos quosdam, quos noverat fortassis  
aliis persuasibiles existentes, ut insuspicabi-  
lis interrogatio fieret, & ex rebus ipsis disce-  
rent distantiam inter eum & Jesum. *Hilaris*  
(can. 11.) Joannes igitur non suadet, sed disci-  
pularum ignorantiam consulit: ut enim scirent  
non alium a se prædicatum, ad opera ejus in-  
tuenda discipulos suos misit, ut auctoritatem  
dictis suis illius opera conferrent; nec Christus  
alius expectaretur quam cui testimonium opera  
præstitissent. *Chrysostomus* (hom. 37. in Matth.)  
Idem Christus autem mentem noscens Joannis,  
non dixit, Quoniam ego sum: quia per hoc rur-  
sus obfisteret (1) audientibus: excogitassent  
enim, etsi non dixissent, quod Judæi ad ip-  
sum dixerunt (Joan. 8.) „ Tu de teipso testi-  
monium perhibes. “ Et propter hoc a mira-  
culis fecit eos dicere, insuspicabilem doctrinam  
faciens, & manifestiorem. Testimonium  
enim quod est a rebus, credibilis est testimonio  
quod est a verbis. Unde confessum curavit cæ-  
cos, & claudos, & alios multos, non ut doce-  
ret Joannem scientem, sed hos qui dubitabant,  
& ideo sequitur: *Et respondens Jesus ait illis: Eantes renuntiate Joanni quæ audistis; & vidistis. Cæci vident, claudi ambulantes, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Hieronymus* (cit. illud, *Pauperes evangelizantur*). Quod præmissis non minus est. Pauperes autem evangelizatos intellige, vel pauperes spiritu, vel certe opibus pauperes: ut nulla inter nobiles & ignobiles, inter divites & egenos in predicatione distantia sit: hæc magis rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem, quando omnis apud eum qui (2) salvare potest æqualis est. *Chrysostomus* (ut supra.) Quod autem ait, *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*, internuntios percipit: quia enim scandalizabantur in ipso, dubitationem eorum non divulgans, & soli eorum conf-

(1) *Al.* hoc audientibus. (2) *Al.* salvati. (3) *P. Nicolai* habet elata. (4) *Al.* alterius, item alteratus. *P. Nicolai* legit alteratus. (5) *Al.* in Christo.

cientiæ derelinquens, redargutionem eorum la-  
tenter induxit. *Hilaris* (can. 11. super his ver-  
bis.) Itaque cui rei Joannes cavisset, ostendit  
dicens beatos eos in quibus aliquid in se scan-  
dali non fuisset: quia metu ejus, scilicet ne scan-  
dalizarentur, discipulos suos Joannes, ut Chris-  
tum audirent, misit. *Gregorius* (hom. 6. in Evan.)  
Vel aliter. Infidelium mens grave in Christo  
scandalum pertulit, cum eum etiam post tot  
miracula morientem vidit: unde Paulus dicit  
I. Corinth. 1. „ Nos prædicamus Christum cru-  
cifixum, Judæis quidem scandalum. “ Quid  
ergo est dicere, *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, nisi aperta voce abjectionem mor-  
tis suæ, humilitatemque signare? ac si paten-  
ter dicat: Mira quidem facio, sed abjecta per-  
peti non dedignor. Quia ergo moriendo te sub-  
sequor, cavendum valde est hominibus ne in me  
mortem despiciant qui signa venerantur. *Hila-  
rius* (ibidem.) Præterit etiam mystice in his quæ  
in Joanne gesta sunt, intelligentia amplior, ut  
Propheta ipso conditionis suæ genere propheti-  
zaret, quia in eo forma (3) legis lata est: Chris-  
tum enim lex annuntiavit, & remissionem pec-  
catorum prædicavit, & regnum celorum spo-  
ndit; & Joannes totum hoc opus legis ex-  
plevit. Igitur cessante jam lege (quæ peccatis  
plebis inclusa, ne Christus posset intelligi, qua-  
si vinealis, & quasi carcere continebatur)  
ad Evangelia contuenda lex mittit, ut infidelitas  
fidem dictorum contempleretur in factis. *Ambro-  
sius* super Lucam (cap. 7. vel Lib. V. in Lucam  
in cap. de missione discipulorum Joannis.) Et  
fortassis discipuli quos misit, sunt duo  
populi: unus qui ex Judæis credit, alter qui  
ex Gentibus.

(c) *Chrysostomus* (hom. 38. circa princ.)  
Quantum ad discipulos Joannis satis actum  
erat: certificati enim de Christo per signa quæ  
viderant, recesserunt. Sed oportebat etiam tur-  
bas sanari, quæ ex interrogatione discipulo-  
rum Joannis multa inconvenientia subintelle-  
xerint; ignorantes mittentis consilium. Poterant  
utique dicere: Qui tanta testatus est de Chris-  
to aliter persuasus est nunc, & dubitat utrum  
sit ipse. Numquid ergo (4) alterans ad Jesum  
hoc dicit? Numquid timidior a carcere factus?  
Numquid vanè, & inaniter priora dixit? *Hila-  
rius* (can. 11.) Ac ne illud quod immediate  
præmiserat, referri posset ad Joannem, tam-  
quam scandalizatus esset (5) de Christo, subdi-  
tur: *Illis autem abeuntibus, cepit Jesus dicere  
ad turbas de Joanne Chrysostomus* in hom. (38.  
parum a princ.) Propter hoc autem abeuntibus

eis,

eis; ut non videatur homini adulari; corrigens  
autem & plebem, non ducit in medium suspi-  
cionem eorum, sed solutionem cogitationum  
eorum inducit, quæ eos in dubitationem mit-  
tebant, demonstrans se nosse occulta. Neque  
enim dixit sicut Judæis, *Quid cogitatis malæ*  
etsi mala cogitaverint; non tamen ex malitia,  
sed ex ignorantia: unde non loquitur eis dure,  
sed respondet pro Joanne, ostendens quod non  
excidit a priori opinione. Hoc autem docet, non  
solum proprio verbo, sed eorum testimonio,  
non tantum per ea quæ dixerunt, sed per ea quæ  
egerunt: ideoque ait: *Quid existis in desertum vi-  
dere? ac si diceret: Propter quid civitates dimi-  
tentes convenistis in desertum? Non enim plebs  
tanta cum tanto desiderio in eremum venisset, nisi  
magnum quendam, & mirabilem, & petra soli-  
diorem se videre existimans. Glossa* (2). Non autem  
tunc exierant in desertum ad hoc ut viderent  
Joannem: nec enim erat tunc in deserto, sed in  
carceribus præteritum refert, quia frequenter  
exierat populus in desertum videre Joannem,  
cum adhuc esset in deserto. *Chrysostomus* in homil.  
38. Et vide quia, omnem aliam malitiam præter-  
mittens, removel a Joanne levitatem, de qua turbæ  
dubitabant: dicens: *Arundinem vento agitatum?*  
*Gregorius* in hom. (7. in Evang.) Quod videli-  
cet non asserendo, sed negando intulit. Arun-  
dinem quippe, mox ut aura contingit, in par-  
tem flectit; per quam carnalis animus designa-  
tur, qui mox ut favore, & detractioe tan-  
gitur, in partem quamlibet declinat. Arun-  
do ergo vento agitata Joannes non erat, quem  
a status sui rectitudine nulla rerum varietas in-  
flectebat. Ac si Dominus diceret, *Hieronymus* su-  
per illud, *Illis abeuntibus*. Numquid ob hoc exitis  
in desertum, ut videretis hominem calamo si-  
mitem, qui omni vento circumfertur, & levi-  
tate mentis de eo ambigeret quem antea præ-  
dicaret? An forsitan stimulis invidiæ contra me  
cogitur, & prædicatio ejus vanam sectatur glo-  
riam, ut ex ea quærat lucra? Cur divitias cu-  
piat? Ut assuat dapibus? Locustis vescitur, &  
melle silvestri. An ut mollibus vestiatur? Pili  
camelorum sunt regmen ejus; & ideo subdit:  
*Sed quid existis videre? Hominem mollibus vesti-  
tium?* *Chrysostomus* in hom. 38. Vel aliter.  
Quod non sit Joannes similis calamo mobili,  
per vestrum studium significastis, scilicet in de-

(1) *Al.* monstrat stola, solitudo, & carcer: item monstrat solitudo & carcer. *P. Nicolai* habet monstrat sola solitudo, & carcer. (2) *Fortè* in laxu. (3) *Al.* intemperans. (4) *Al.* etiam eum.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Sic exemplar utrumque S. Thomæ quod ad manum est, etsi nihil tale in Glossa quæ nunc extat; sed in Auctore imperfecti operis in Matthæum, inter Oopera Chry-  
sof. hom. 27. paulo ante medium.

sertum exeuntes. Non tamen potest aliquis dede-  
re, quod Joannes quidem constans erat, sed  
postea lascivie serviens factus est mobilis: si-  
cut enim aliquis est iracundus natura, alius  
per infirmitatem longam; ita aliqui sunt mobi-  
les per naturam, alii vero lascivie serviendo  
mobiles fiunt. Joannes autem neque natura mobi-  
lis erat; propter quod dixerat: *Num existis vi-  
dere arundinem vento agitatum?* neque lascivie  
dans se ipsum, perdidit quam habebat excel-  
lentiam: quod enim non servierit lascivie (1)  
monstrat stola, solitudo, & carcer. Si enim  
vellet mollibus vestiiri, non eremum inhabitasset,  
sed Regum palatia: unde sequitur; *Ecce qui  
mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.*  
*Hieronymus* (ibidem.) Ex hoc ostenditur rigidam  
vitam, & austeram prædicationem vitare debe-  
re aulas Regum, & mollium hominum pala-  
tia declinare. *Gregorius* in hom. (6. in Evang.)  
Nemo autem exitimet (2) in fluxu, atque stu-  
dio pretiosarum vestium peccata desse: quia si  
hoc culpa non esset, nullo modo Joannem Do-  
minus de vestimento sui asperitate laudasset. Et  
nequaquam Petrus feminas a pretiosarum vesti-  
um appetitu compesceret, dicens (I. Pet. 3.)  
„ Non in veste pretiosa. “ *Augustinus* III. de  
Doctrina Christiana (cap. 12.) Cum in omnibus  
talibus non usus rerum, sed libido utentis in  
culpa est. Quisquis enim rebus restrictus uti-  
tur quam se habent mores eorum cum quibus  
vivit, aut (3) temperans, aut superstitiosus est.  
Quisquis vero sic utitur, ut metas consuetu-  
dinis bonorum inter quos versatur excedat, aut  
aliquid significat, aut flagitiosus est. *Chryso-  
stomus* in hom. (38.) A loco autem, & vestimen-  
tis & a concursu hominum, ejus moribus de-  
signatis, inducit jam & Prophetam (4) eum esse  
se, dicens: *Sed quid existis videre? Prophetam?*  
*Dico vobis etiam plus quam prophetam. Gregorius*  
(hom. 6.) Prophetæ enim ministerium est ven-  
tura prædicere, non etiam demonstrare. Joannes  
ergo pluraquam Prophetæ est: quia eum quem  
præcurrendo prophetaverat, etiam ostendendo  
nutriabat. *Hieronymus*. In quo etiam ceteris Pro-  
phetis major est: & quia ad privilegium pro-  
phetale etiam baptismi accessit premium, ut  
suum Dominum baptizaret. *Chrysostomus* in hom.  
(38.) Deinde monstrat secundum quid est ma-  
jor, dicens: *Hic est enim de quo scriptum est: Ec-*



ce mitto Angelum meum ante faciem tuam. Hieronymus (super Sed quid ex se videre?) Ut enim meritorium Joannis augmentum faceret, de Malachia testimonium infert, in quo etiam Angelus prædicatur. Angelum autem hic dici Joannem non potest naturæ societate, sed officii dignitate, id est nuntium qui venturum Dominum nuntiavit. Gregorius (hom. 6.) Qui enim Græce Angelus, hic Latine Nuntius dicitur. Recte ergo qui nuntiare supernum nuntium venerat, Angelus vocatur, ut dignitatem fervet in domine, quam explet in operatione. Chrysostomus in hom. 38. Monstrat igitur secundum quid est major Joannes Prophetis, secundum id scilicet quod est prope Christum: & ideo dicit: *Mitto ante faciem tuam*, hoc est prope te: sicut enim qui prope currum Regis incedunt, aliis sunt clariores, ita & Joannes prope Christi præsentiam. Glossa (a) Deinde alii Prophetæ missi sunt ut adventum Christi annuntiarent; iste autem, ut præpararet viam ipsius: unde sequitur: *Qui præparabit viam tuam ante te*; id est, pervia reddet tibi corda auditorum, penitentiam prædicando, & baptizando. Hilarius (can. 11. in Matth. super his verbis.) Mystice autem desertum Spiritu Sancto vacuum est sentiendum, in quo habitatio Dei nulla fit; in arundine homo talis ostenditur de gloria sæculi vitæ, suæ inanitate speciosus, in se autem fructu veritatis cavus, exterior placens, & nullus interior, ad omnem ventorum motum, id est immundorum spirituum flatum, movendus, neque ad consistendi firmitatem valens, & animæ medullis inanis; veste autem, corpus quo induitur anima signatur, quod luxu, ac lasciviis mollescit; in Regibus transgressorum angelorum nuncupatio est: hi enim sæculi sunt potentes, mundi que dominantes. Ergo vestiti mollibus in domibus Regum sunt; id est, (1) illos quibus per luxum fluida & dissoluta sunt corpora, patet esse demonum habitationem. Gregorius (hom. 6.) Joannes etiam mollibus vestitus non fuit, quia vitam peccantium non blandimentis fovit, sed rigore asperæ invectionis increpavit, dicens (supra 3.) *Genimina viperarum* &c.

(d) Chrysostomus (hom. 38.) Præmissa commendatione Joannis ex Prophetæ testimonio, non hic stetit, sed jam sententiam propriam de ipso inducit, dicens: *Amen dico vobis, non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista. Rabbanus* (super illud, *Non surrexit major Joanne*

Baptista) Ac si diceret: Quid dicere per fingit la de commendatione Joannis? Amen dico vobis, inter natos mulierum &c. inter natos, inquit mulierum, non virginum; mulieres enim proprie corruptæ vocantur. Si autem Maria aliquando mulier in Evangelio nuncupatur, sciendum est, Interpretem, mulierem pro femina posuisse: sicut ibi, „ Mulier ecce filius tuus. “ Joan. 19. Hieronymus (ibidem.) His ergo præfertur hominibus qui de mulieribus nati sunt, & de concubitu viri; & non ei qui natus est ex Virgine, & Spiritu Sancto; quamvis in eo quod dicit, *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista*, non ceteris Prophetis, & Patriarchis, (2) cunctisque hominibus Joannem prætulit, sed Joanni ceteros exequavit: non enim statim sequitur ut si alii majores eo non sunt, ille major aliorum sit. Chrysostomus super Matth. (homil. 38. in oper. imperf.) Sed tanta cum sit justitiæ altitudo in illa nemo possit esse perfectus nisi solus Deus, puto quia omnes sancti quantum ad subtilitatem divini iudicii invicem sibi inferiores sunt, aut priores. Ex quo intelligimus quoniam qui majorem se non habet, major omnibus est. Chrysostomus in hom. 38. Ne autem rursus superabundantia laudum pariat aliquid inconveniens Judæis Joannem præferentibus Christo, convenienter hoc removet dicens: *Qui autem minor est in regno caelorum, hic major est illo.* Augustinus contra Adversarium legis, & Prophetarum (Lib. 2. cap. 5.) Argumentatur autem ex hoc hæreticus ita, velut ratiocinando, tanquam Joannes non pertineat ad regnum caelorum, & ob hoc multo minus ceteri Prophetæ illius populi, quibus major est Joannes. Hæc autem verba Domini duobus modis possunt intelligi. Aut enim regnum caelorum appellavit hoc quod nondum accepimus, de quo in fine dicturus est (infra 25.) *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*: & quia ibi sunt Angeli, (3) quilibet in eis minor major est quolibet justo portante corpus quod corruptitur. Aut si regnum caelorum intelligi voluit Ecclesiam, cujus filii sunt ab institutione generis humani usque nunc omnes iusti. Dominus seipsum signavit; qui nascendi tempore minor erat Joanne, major autem divinitatis æternitate, & dominica potestate. Proinde secundum priorem expositionem, ita distinguitur: *Qui minor est in regno caelorum*, ac deinde subinfertur, *Major est illo.* Secundum hæc autem posteriorem, ita: *Qui autem minor est*, ac deinde subinfertur.

(1) Al. illorum. (2) Al. deest cunctisque hominibus. (3) Al. quibus. EX EDIT. P. NICOL. (a) Interlinealis quoad posteriorem tamen appendicem prima enim iterum ex Auctore operis imperfecti sumpta est, inter Opera Chrysoi. ut supra.

feritur, *In regno caelorum major est illo.* Chrysostomus (hom. 38. in Matth.) Dicit autem: *In regno caelorum*, id est in spiritibus, & universis quæ sunt secundum celum. Quidam autem dicunt quoniam de Apostolis hoc dixit Christus. Hieronymus (super Qui minor est in regno.) Nos (1) autem simpliciter intelligamus, quia omnis sanctus qui jam cum Domino est, sit major illo qui adhuc consistit in prælio: aliud est enim victoriæ coronam possidere, aliud adhuc in acie dimicare.

(e) Glossa (a) Quia dixerat superius: *Qui minor est in regno caelorum, est major Joanne*; ne videretur Joannes à regno caelorum esse alienus, hoc removet, subdens: *A die autem Joannis Baptiste usque nunc regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Gregorius (hom. 6.) Per regnum caelorum superum solum signatur, (2) quo, cum peccatores quolibet facinore polluti ad penitentiam redeunt, & semetipsos corrigunt, quasi (3) peccatores in locum alienum intrant, & violenter regnum caelorum rapiunt. Hieronymus (super Adiebus Joannis Baptiste.) Si autem primus Joannes Baptista penitentiam populis nuntiavit, dicens (supra 3.) *Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum*; convenienter à diebus illius regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Grandis est enim violentia, in terra nos esse generatos, & caelorum sedem quærere, & possidere per virtutem quæ non tenuimus per naturam. Hilarius (can. 11.) Vel aliter. Dominus Apostolos ire ad oves perditas Israel jussit; sed omnis hæc prædicatio profectum publicanis, & peccatoribus asserbar. Itaque vim regnum patitur, & violenti diripiunt: quia gloria Israel (4) patribus debita, Prophetis nuntiata, à Christo oblata, fide Gentium occupatur, & rapiunt. Chrysostomus (hom. 38.) Vel rapiunt regnum Dei per fidem Christi omnes qui cum festinatione veniunt: unde dicit: *A diebus autem Joannis usque nunc*: & ita impellit, & festinare facit ad fidem suam, (5) simul autem & his que antea dicta sunt à Joanne opitulatur. Si enim usque ad Joannem omnia completa sunt, ipse est qui venturus est: unde subdit: *Omnes enim Prophetæ, & lex usque ad Joannem* (6) prophetaverunt. Hieronymus (super his verbis. Non quod post Joannem excludat Prophetas: legimus enim in Actibus Apof. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. Non autem. (2) Al. cum quo. (3) Al. Forte prædatores. (4) Al. à patribus. (5) Al. Simul & his que antea dicta sunt de Joanne opitulatur. (6) baptizaverunt. (7) Al. ut lex. (8) Al. omittitur ergo. (9) Al. qui reversionem animarum introducant.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nec in Glossa, nec in Anselmo, nec alibi occurrit. Quod autem subjungitur ex Gregorio, habetur hom. 20. in Evang. super illud Luc. 3. *Qui habet duas tunicas &c.* (b) Non sic expresse Glossa; est partem istorum insinuet æquivalenter: sed ex Anselmo tota sententia petitur explicite.

colorum (cap. 21.) & Agabum prophetizasse, & quatuor virgines filias Philippi; sed (7) quod lex, & Prophetæ quos scriptos legimus, quicquid prophetizaverunt, de Domino variatini sunt: Quando (8) ergo dicitur, *Usque ad Joannem prophetaverunt*: Christi tempus ostenditur; & quem illi dixerunt esse venturum Joannes venisse ostendit. Chrysostomus (hom. 38.) Deinde aliam conjecturam sui adventus ponit: dicens: *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Dicit Dominus in Malachia (cap. 4.) *Mittemus vobis Eliam Thesebitem*: & de isto dicit: *Ece ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Hieronymus (super Ipse est Elias.) Elias ergo Joannes dicitur, non secundum stultos Philosophos, & quosdam hæreticos, (9) qui metempsychosin, id est animæ ex uno in aliud corpus migrationem, introducunt; sed quod, juxta aliud testimonium Evangelii, venerit in spiritu, & virtute Eliæ, & eandem Spiritus Sancti vel gratiam habuerit, vel mensuram. Sed & vitæ austeritas, rigorque mentis Eliæ, & Joannis pares sunt: uterque in eremo, uterque zona pellicea cingebatur: ille quoniam Regem Achab, & Jezabel impietatis arguit, fugere compulsus est; iste quia Herodis, & Herodias illicitas arguit nuptias, capite truncat. Chrysostomus (hom. 38.) Et bene dicit, *si vultis recipere*, libertatem ostendens, & voluntariam expectans mentem. Est enim ille hic, & hic ille: quia præcursores facti sunt utriusque. Hieronymus (loc. cit.) Hoc autem quod dictum est, *Ipse est Elias*, mysticum esse, & egere intelligentia, sequens Domini sermo demonstrat, dicens: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Remigius. Ac si diceret: *Qui habet aures cordis audiendi, id est intelligendi*, intelligat: quia non dixit Joannem Eliam esse in persona, sed in spiritu.

(f) Hilarius (can. 11.) Totus hic sermo infidelitatis opprobrium est, & de affectu superioris querimonie descendit: quia insolens plebs per diversa sermonum genera docta non fuerit. Chrysostomus (hom. 38.) Unde & interrogatione utitur, monstrans quoniam nihil quod debere fieri ad salutem eorum, derelictum est, dicens: *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Glossa (b) (ordinaria.)* Quasi dicit: *Tantus est Joannes; sed vos nec sibi, nec mihi voluistis credere; & ideo cui vos similes æstimabo?* per generatio-

B 3

nem-



nem accipit communiter & Judæos, & secum Joanne. *Remigius*. Mox autem sibi ipsi respondet, subjungens *Similis est pueri sedentibus in foro, qui clamantes coequalibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentavimus, & non planxistis. Hilarius* (can. 11. in medio.) In pueris Prophetæ signatur, qui in simplicitate sensus, ut pueri, prædicaverunt, & in medio synagoga tamquam in publico fori conventu coarguunt, quod cantantibus sibi officio corporis non obsecundaverint, & quod dictis suis non (1) paruerint: ad cantantium enim modum saltantium motus aptatur. Prophetæ enim ad confessionem psallendi Deo provocaverunt: ut cantico Moysi teneret, ut Esaiæ, ut David. *Hieronymus* (super *Similis est pueris*.) Dicunt ergo: *Cecinimus vobis, & non saltastis*; id est, provocavimus vos ut ad nostrum canticum bona opera faceretis, & noluitis. Lamentari sumus, & vos ad penitentiam provocavimus; & nec hoc quidem facere voluistis, sperantes utramque prædicationem, tam exhortationis ad virtutes, quam penitentia: post peccata. *Remigius*. Quid est autem quod dicit, *Coequalibus*? Numquid infideles Judæi coequaliter erant sanctis Prophetis? Sed hoc dicit, quoniam de una stirpe orti fuerunt. *Hieronymus* (ibidem.) Pueri etiam sunt de quibus Esaias loquitur (cap. 8.) „ Ecce ego, & pueri mei quos dedit mihi Dominus: „ Isti ergo pueri sedent in foro, ubi multa ventalia sunt, & dicunt: *Chrysostromus* (homil. 38. cit. med.) *Cecinimus vobis, & non saltastis*; hoc est, remissam vitam ostendi, & non persuasi estis: *lamentavimus, & non planxistis*; hoc est, Joannes duram sustinuit vitam, & non attendistis. Non autem dicit ille illud, & ego hoc, sed communiter: *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet. Venit Filius hominis &c.* *Augustinus* contra *Fautum* (Lib. 16. cap. 31.) Vellem autem ut mihi Manichæi dicerent quid manducabat, & quid bibebat Christus, qui in comparatione Joannis non manducantis, neque bibentis, hic se dixit manducantem, ac bibentem. Non enim dictum est quod Joannes omnino non biberet; sed quod vinum, & siceram non biberet: bibebat ergo aquam. Cibis autem ejus non omnino nullus erat, sed locustæ, & mel silvestre. Unde ergo dictus est non manducans, neque bibens, nisi quia illo victu quo Judæi utebantur, non utebatur? Hoc ergo Dominus nisi uteretur, non in ejus comparatione manducans, bibensque diceretur. Mirum autem si non manducans dicitur qui locustas, & mel comedit,

(1) *Al.* non pervenerint. (2) *Al.* fluere. (3) *Al.* quæ non sunt.

& manducans dicitur qui pane, & olere contentus est. *Chrysostromus* (homil. 38. in Matth.) Dicit ergo, *Venit Jesus*; ac si dicat: Per contrariam viam venimus ego, & Joannes, & idem fecimus: sicut si venatores per duas contrarias vias aliquid animal insequantur, ut in alterum incidat. Universum autem hominum genus jejuniū, & duram vitam admittat, & propter hoc dispensatum est à prima ætate ita nutriri Joannem, ut per hoc digna fide essent quæ dicerentur ab ipso. Incessit siquidem Dominus per hanc viam quando quadraginta diebus jejunavit; sed tamen & aliter docuit quod sibi esset credendum: multo enim majus erat quod testaretur pro eo Joannes qui per hanc viam incesserat, quam quod ipse per hanc viam incederet. Aliter Joannes nihil plus ostendit præter vitam, & justitiam; Christus autem & à miraculis testimonium habebat. Dimittens ergo Joannem jejuniū (2) fulgere, ipse contrariam incessit viam, ad mensam intrans publicanorum, & manducans, & bibens. *Hieronymus* (ibidem.) Si ergo jejuniū vobis placet, cur Joannes displicuit? Si futuritas, cur Filius hominis? Quorum alterum dæmonium habentem, alterum voracem, & ebrium nuncupastis. *Chrysostromus* (homil. 38. in Matth. post med.) Qualem igitur jam excusationem accipit? Propter hoc subdit: *Et justificata est sapientia à filiis suis*; hoc est, etsi vos persuasi non estis, sed me jam inculpate non habetis; quod & de Patre ait Propheta, *Psal. 50.* „ Ut justificeris in „ sermonibus tuis: „ etsi enim nihil in vobis expleatur à procuratore Dei, quæ est circa vos, omnia quæ sunt ex parte sua, complet, ut inverecundis neque umbram relinquat ingratae dubitationis. *Hieronymus* (super *Carpit Jesus exprobrare*.) *Justificata est ergo sapientia à filiis suis*; id est, Dei dispensatio, atque doctrina, vel ipse Christus, qui est Dei virtus, & Dei sapientia, juste fecisse, ab Apostolis suis filiis comprobatus est. *Hilarius* (can. 11. in Matth. à medio.) Est autem ipsa sapientia non ex effectu, sed ex natura. Plures enim dictum apostolicum, quod ait 1. Corinth. 1. „ Christum Dei sapientiam, „ & Dei virtutem “ his modis solent eludere, quod in eo ex Virgine creandis efficacis Dei sapientia, & virtus extiterit. Sed ne tale possit intelligi ipsum se sapientiam nuncupavit, eam in se, (3) non quæ sunt ejus ostendens. Non enim idem opus virtutis, & virtus, & efficiens discernitur ab effectu. *Augustinus* de *Quæst. Evan.* (Lib. 2. cap. 2.) vel *justificata est sapientia à filiis suis*: quia sancti Apostoli intellexerunt regnum Dei non esse in esca, & poru, sed in

in æquanimitate tolerandi, quos nec copia sublevar, nec deprimit egestas, unde & Paulus dicebat *Philip. 4.* „ Scio abundare, & penuriam pati. “ *Hieronymus* (ibid. ut sup.) In quibusdam libris legitur: *Justificata est sapientia ab operibus suis*: sapientia namque non quærit vocis testimonium; sed operum. *Chrysostromus* (homil. 38.) Si autem exempla vilia sunt de pueris, non mirens: ad imbecillitatem enim audientium loquebatur; sicut *Ezechiel* multa dicit exempla Judæis convenientia; Dei magnitudine indigna (1). *Hilarius* (can. 10. à med.) Mytice autem Judæos nec Joannis prædicatio inlexit, quibus & lex gravis visa est potibus cibisque præscriptis, & difficilis, & molesta, peccatum in se, quod dæmonium (2) nuncupat, habens: quia per observantiam difficultatem necesse eis esset in lege peccare: rursusque in Christo Evangelii prædicatio vitæ libertate non placuit, per quam difficultates legis, & onera laxata sunt, (3) & ad eam publicani peccatoresque crederunt. Atque (4) ita tot & tantis admonitionum generibus frustra habitis, nec per gratiam justificantur, & à lege sunt abdicati: & *justificata est sapientia à filiis suis*, ab his scilicet qui regnum cælorum fidei justificatione diripiunt, contentes justum sapientia opus, quod minus suum ad fideles à contumacibus transfulerit.

(2) *Glossa* (a) (ordinaria.) Hucusque Judæos communiter increpaverat; nunc autem quasi nominatim quadam civitates increpat, quibus specialiter prædicaverat, nec tamen converti volebant: unde dicitur: *Tunc cepit exprobrare civitatibus in quibus facta sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent penitentiam.* *Hieronymus* (super *Tunc cepit exprobrare*.) Exprobratio enim civitatum Corozaim, & Bethsaidæ, & Capharnaum, capituli hujus titulo panditur: quod ideo exprobraverit eis, quia post factas virtutes, & signa quamplurima, non egerint penitentiam: unde subdit: *Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida.* *Chrysostromus* (hom. 38.) Ut autem non dicas à natura ipsos esse malos, ponit nomen civitatis, scilicet Bethsaida, à qua quandoque processerunt Apostoli: etenim Philippus, & duo barnabii principalium Apostolorum hic fuerunt, scilicet Petrus, & Andreas, Jacobus, & Joannes. *Hieronymus* (super *Vae tibi Corozaim*.) Sed per hoc quod dicit, *Vae*, hæc urbes Galilææ à Salva-

toroplantur, quod post tanta signa, atque virtutes non egerint penitentiam. *Rabbanus*. Corozaim autem, quæ interpretatur mysterium meum, & Bethsaida, quæ domus fructuum, vel domus venatorum dicitur, civitates sunt Galilææ sitæ in litore maris Galilææ. Plangit ergo Dominus civitates quæ quondam mysterium Dei tenuerunt, & virtutum jam fructum gignere debuerunt, & in quas spiritales venatores sunt missi. *Hieronymus* (ibidem.) Et præferuntur eis Tyrus, & Sidon urbes idolatriæ, & vitis deditæ: & ideo sequitur: *Quia si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere penitentiam egissent.* *Gregorius* 35. Moral. (cap. 5. super illud *Job 41.* „ Ago penitentiam in favilla: “ in novis exemp. cap. 2.) In cilicio quidem asperitas, quæ punctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum: & idcirco utrumque hoc adhiberi ad penitentiam solet, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, & in favilla cineris perpendamus quid per judicium facti sumus. *Rabbannus* (super *Si in Tyro, & Sidone*.) Tyrus autem, & Sidon sunt urbes Phœnicis. Interpretatur autem Tyrus angustia, & Sidon venatio; & significat Gentes quas venator diabolus in angustia peccatorum comprehendit; sed Salvator Jesus per Evangelium absolvit. *Hieronymus* (super *Vae tibi Corozaim*.) Quærimus autem ubi scriptum sit quod in Corozaim, & Bethsaida Dominus signa fecerit. (sup. cap. 9.) legitur: *Et circumibat civitates omnes, & vicinos, curans omnem infirmitatem, & reliqua*: inter ceteras ergo urbes, & viculos existimandum est in Corozaim, & in Bethsaida Dominum signa fecisse. *Augustinus* de *Perseverantia* (cap. 9. parum à prin.) Non ergo verum est quod his temporibus, & his locis Evangelium ejus prædicatum non est, in quibus tales omnes futuros esse præciebat quales multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec fuscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Ecce enim Dominus attestatur quod Tyri, & Sidonii acturi essent magnæ humilitatis penitentiam, si in eis facta essent divinarum signa virtutum. Porro si etiam secundum facta quæ facturi essent si viverent, mortui judicantur; profecto quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis Evangelium fuisset prædicatum, non sunt utique puniendi; & tamen in die judicii punientur:

(1) *In Herbipolensi Nicolai edit. an. 1704. ista subduntur*: Id est quæ Judæorum quidem conditioni accommodata essent, sed indigna quæ de divina magnitudine dicerentur: nisi & hoc maxime Deo dignum quod ad hominum utilitatem spectat &c. (2) *Al.* nuncupavit. (3) *P. Nicolai legit & jam.* (4) *Al. deest.* ita.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Paulo aliis verbis, etsi eodem sensu, sed his iisdem plane verbis *Anselmus*, cujus corrupto textu prius obtrusum erat *spiritualiter*, ubi repositum est *specialiter*.



sequitur enim: *Verumtamen dico vobis* &c. Severius ergo punientur illi, isti remissius. *Hieronymus* (ibidem.) Quod ideo est, quia Tyrus, & Sidon naturalem tantum legem calcaverant; istæ vero civitates post transgressionem naturalis legis, & scriptæ, etiam signa quæ apud eos facta sunt, parvi duxerunt. *Rabbanus* (ubi supra.) Impletum autem hodie videmus dictum Salvatoris: quia scilicet Corozaim, & Bethsaida præsentem Domino credere noluerunt; Tyrus autem, & Sidon, postea evangelizantibus discipulis crediderunt. *Remigius.* Capharnaum autem metropolis erat Galilææ, & insignis civitas illius provincie; & ideo Dominus specialiter mentionem illius facit, dicens: *Et tu Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis? Usque ad infernum descendes.* *Hieronymus* (super: *Et tu Capharnaum*.) In altero exemplari reperimus: *Et tu Capharnaum, quæ usque ad cælum exaltata es, usque (1) ad inferna descendes:* & est duplex intelligentia. Vel ideo ad inferna descendes, quia contra prædicationem meam superbissime restitisti: vel ideo quia exaltata usque in cælum meo hospicio, & meis signis, atque virtutibus tantum habens privilegium, majoribus plecteris supplicis, quod his quoque credere noluerunt. *Remigius.* Non solum autem Tyri, & Sidonis, sed ipsa Sodomorum, & Gomorthæorum fecerunt lævia peccata per comparationem; & ideo sequitur: *Quia si in Sodomis factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te: forte mansissent usque in hunc diem.* *Chrysostomus* (hom. 38. in Matth. à med.) In quo augetur eorum accusatio: etenim maxima malitiæ demonstratio est, cum non solum his qui tunc erant, sed his qui (2) unquam fuerant mali, apparent deteriores. *Hieronymus* (super: *Si in Tyro, & Sidone*.) In Capharnaum autem, quæ interpretatur villa pulcherrima, condemnatur Hierusalem, cui dicitur per Ezechielem cap. 16. „Justificata est „Sodoma ex te.“ *Remigius.* Ideo autem Dominus, qui omnia novit, in hoc loco verbum dubitativum posuit, scilicet *forte*, ut demonstraret, quia liberum arbitrium concessum est hominibus. Sequitur: *Verumtamen dico vobis, quia tunc Sodomorum remissius erit in die iudicii quam vobis.* Id sciendum est, quod nomine civitatis, vel terræ, non ædificia, vel domorum parietes Dominus increpat, sed homines in eis commorantes, secundum speciem tropi, quæ est metonymia, in qua per hoc quod continet id quod continetur ostenditur. Per hoc autem quod dicit, *Remissius erit in die iudicii*, aperte demonstrat quia diversa sunt mansiones in regno cælorum. *Hieronymus* (super: *Si in Tyro, & Sidone*.) Quærat autem prudens lector, & dicat: Si Tyrus, & Sidon, & Sodoma potuerunt agere penitentiam ad prædicationem Salvatoris, signorumque miracula, non sunt in culpa, quia non crediderunt; sed vitii silentium in eo est qui acturis penitentiam noluit prædicare. Ad quod facilis, & aperta est responsio, ignorare nos judicia Dei, & singularium ejus dispensationum sacramenta nescire. Propositum fuerat Domino Judææ fines non excedere, ne justam pharisæis & sacerdotibus occasionem persecutionis daret: unde & Apostolus præcepit (supra 10.) *In viam Gentium ne abieritis.* Corozaim, & Bethsaida damnantur, quod præsentem Domino credere noluerunt; Tyrus, & Sidon iustificantur, quod Apostolis illius crediderunt. Non quaras tempora, cum credentium intuearis salutem. *Remigius.* Solvitur autem & aliter. Fortassis erant plurimi in Corozaim, & Bethsaida qui credituri erant, & erant multi in Tyro, & Sidone, qui non erant credituri; & ideo non erant digni Evangelio. Dominus ergo ideo habitatoribus Corozaim, & Bethsaidæ prædicavit, ut illi qui credituri erant, crederent; & habitatoribus Tyri, & Sidonis prædicare noluit, ne forte illi qui non erant credituri, contemptum Evangelii locum sic exposuit ut diceret, præscisse Dominum Tyrios, & Sidonios à fide fuisse postea recessuros, cum factis apud se miraculis credidissent; & misericordia potius non eum illic ista fecisse: quoniam graviore pena obnoxii fierent, si fidem quam tenuerant reliquissent, quam si eam nullo tempore tenuissent. Vel aliter. Præscivit profecto Deus beneficia sua, quibus nos liberare dignatur. Hæc autem est prædestinatio sanctorum, præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Ceteri autem non nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur, ubi Tyrii religii sunt, & Sidonii, qui etiam credere poterant, si multa Christi signa vidissent; sed quoniam ut crederent non eis erat datum, & unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædicatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique ta-

(1) *Al. ad infernales:* & est &c. (2) *Al. numquam.*

lia, vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit Evangelium dicens: *Dum autem tanta signa fecisset coram eis, non poterant credere: quia dixit Esaias: Excæcavi oculos illum, & induravi cor eorum.* Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sydoniorum quin credidissent, si qualia viderunt isti, signa vidissent. Sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant, nec istis obfusisset quod non poterant credere, si ita prædestinati essent ut eos cæcos Dominus illuminaret, & induratis cor lapideum veller auferre. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 32.) Hoc autem quod hic dicitur, etiam Lucas commemorat, continuatim cuidam sermone Domini etiam (1) hoc ex ipsius ore conjungens: unde magis videtur ipse hoc ordine illa commemorare quo à Domino dicta sunt; *Matthæus* autem suæ recordationis ordinem tenuisse. Aut illud quod *Matthæus* ait; *Tunc cepit exprobrare civitatibus*, sic accipiendum putant ut punctum ipsum temporis voluisse credatur exprimere, in hoc quod est *Tunc*, non autem ipsum tempus aliquanto latius quo hic multa gerebantur, & dicebantur. Quisque ergo hoc credit, credat hoc esse bis dictum. Cum enim apud unum Evangelistam inveniantur quæ bis dixerat Dominus, sicut apud Lucam de non tollenda pera in via; quid mirum si aliquid aliud bis dictum sigillatim à singulis dicitur eodem ordine quo dictum est? Et ideo diversus ordo apparet in singulis, quia & tunc quando ille, & tunc quando iste commemorat, dictum est.

(h) (a) *Chrysostomus* (hom. 28. in opere imperf.) Quia sciebat Dominus multos de superiori questione dubituros, scilicet quod Judæi Christum non receperunt, quem gentilitas tam prona suscepit; respondet hic cogitationibus eorum: & ideo dicit: *Respondens Jesus dixit: Consteo tibi Pater Domine cæli, & terræ. Glossa.* (ordinaria.) Id est, qui facis cælos, & relinquis in terrenitate quos vis. Vel ad litteram. *Augustinus* de Verbis Domini (ser. 8.) Si Christus dixit, *Consteo*, à quo longe est omne peccatum; confessio non est solius peccatoris, sed aliquando etiam laudatoris. Consteo ergo sive laudantes Deum, sive accusan-

*S. Thom. Oper. Tom. VIII.*

(1) *Al. hic.* (2) *Al. deest ipse.* (3) *Al. prudentiæ.*

Ex EDIT. P. NICOL. (a) *Glossa.* Ex parte tantum quoad posteriorem appendicem; sed initium est expressius ex Anselmo. Prius autem nomine *Chrysostomus* notabatur, apud quem non occurrit, nec in veris illius hominibus, nec in opere imperf. & ultima tantum pars notabatur ex *Glossa.*

tes nosmetipsos. Dixit ergo, *Consteo tibi*; id est, laudo te, non accuso me. *Hieronymus.* Audiant ergo qui Salvatorem non natum, sed creatum calumniantur, quod Patrem suum vocet cæli, & terræ Dominum. Si enim & ipse creatura est, & creatura conditorem suum patrem appellare potest, stultum fuit non & sui, & cæli, & terræ dominum, vel patrem similiter appellare. Gratias autem agit, quod Apostolis adventus sui aperuerit sacramenta, quæ ignoraverunt scribæ, & pharisæi, qui sibi sapientes videntur, & in conspectu suo prudentes: & ideo sequitur: *Quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* *Augustinus* de Verbis Domini (serm. 8.) Nominis sapientium, & prudentium superbos intelligi posse (2) ipse exposuit, cum ait, *Revelasti ea parvulis:* quid enim est *parvulus*, nisi humilibus? *Gregorius* 27. Moral. (cap. 9. super illud Job 36. „In „manibus abscondisti lucem:“ in novis exempl. cap. 7.) Quod enim non subiungit, *Revelasti ea stultis, sed parvulis*, tumorem se damnassee innuit, non acumen. *Chrysostomus* (hom. 39. in Matth.) Vel dicens sapientes, non veram sapientiam dicit, sed eam quam videbantur scribæ, & pharisæi ab eloquentia habere. Propter hoc neque dixit, *Revelasti ea stultis, sed parvulis*, id est informibus, aut rusticis: in quo erudit nos per omnia ab elatione erui, humilitatem autem zelare. *Hilarius* (can. 11. in Matth.) Cælestium ergo verborum arcana, atque virtutes sapientibus absconduntur, & parvulis revelantur (parvulis malitia, non sensu; sapientibus vero stultitiæ suæ præsumptione, non (3) sapientiæ causa. *Chrysostomus* (hom. 39. ut supra.) Revelatum autem esse his, dignum est lætitiæ; occultare autem his, non lætitiæ, sed lacrymis dignum est. Non ergo propter hoc lætatur, sed quoniam quæ sapientes non cognoverunt, cognoverunt hi. *Hilarius* (ut supra.) Facti autem hujus æquitatem Dominus paternæ voluntatis iudicio confirmat, ut qui indignantur parvuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant; & ideo subditur: *Ira Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* *Gregorius* 25. Moral. (cap. 18. super illud Job 34. „Quis est qui condemnet?“ cap. 13. in novis exempl.) Quibus verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere disautere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione præsumamus: ostendens quod injus-

C 3 tum



tum esse non potest quod placuit iusto. *Hieronymus* (ubi supra.) In his etiam verbis blandientis affectu loquitur ad Patrem, ut cœptum in Apofistolis compleatur beneficium. *Chrysoftomus* (hom. 39.) Hæc autem quæ Dominus discipulis dixit, studiosiores eos fecerunt: quia enim consequens erat eos de se magna sapere, quia dæmones abigebant, ideo hinc eos reprimat: revelatio enim erat quod eis factum est, non illorum studium; ideoque scribæ sapientes, & prudentes existimantes se esse, exciderunt propter proprium tumorem: unde (1) si propter hoc ab eis abscondita sunt Dei mysteria, Timete, dicit, & vos, & manete parvuli: hoc enim fecit vos revelatione potiri. Sicut autem cum Paulus dicit Rom. 1. „ Tradidit illos Deus „ in reprobam sensum, “ (2) non hoc dicit inducens Deum hoc agentem, sed illos qui causam tribuerunt; ita & hic: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus.* Et propter quid abscondita sunt ab illis? Audi Paulum dicentem Rom. 10. quoniam „ quærentes propriam iustitiam statuere, iustitia Dei non sunt subiecti. “

(1) *Chrysoftomus* (hom. 39.) Quia dixerat: *Confiteor tibi Pater, quoniam abscondisti hæc à sapientibus;* ut non existimans quoniam ita gratias agit Patri sicut si ipse sit hac virtute privatus, consequenter adiungit: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Cum autem audieris quoniam (3) *tradita sunt,* nihil humanum suspicaris: ut enim non duos deos ingenitos esse asstimes, hanc ponit dictionem. Simul enim cum genitus est, omnium dominator fuit. *Hieronymus* (super *Omnia mihi tradita sunt.*) Alioquin si iuxta nostram fragilitatem sentire volumus, cum cœperit habere qui accepit, incipiet non habere qui dedit. Vel tradita sibi omnia, non cælum, & terra, & elementa intelligenda sunt, & cetera quæ ipse fecit, & condidit; sed hi qui per Filium accessum habent ad Patrem. *Hilarius.* Vel hoc dixit, ne quid in illo minus quam quod in Deo est, aestimaretur. *Augustinus* contra *Maximum* (Lib. 3. cap. 12.) Nam si minus habet in potestate aliquid quam Pater, non sunt eius omnia quæ habet Pater: gignendo enim dedit Pater potentiam Filio, sicut omnia, quæ habet in substantia sua, (4) gignendo dedit ei quem genuit de substantia sua. *Hilarius* (can. 12. in Matth.) Deinde in mutua cognitione Patris, & Filii, dat intelligere non aliud in Filio quam quod in Patre extitisse: sequitur enim: *Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius.* *Chrysoftomus* (hom.

(1) *Al. omittitur si.* (2) *Al. nam.* (3) *Al. audita sunt.* (4) *Al. deest gignendo.* (5) *Al. omittitur ad.*

39. in Matth.) Ex eo enim quod solus Patrem novit, latenter ostendit quidem se esse substantiam; ac si diceret: Quid mirum est, si omnium tum dominator, cum aliquid aliud majus habeam, scilicet scire Patrem, & eisdem esse substantiam? *Hilarius* (can. 11. ante finem.) Eandem enim utriusque in mutua cognitione docet esse substantiam; cum qui Filium cognosceret, Patrem quoque cogniturus esset in Filio, quia omnia ei à Patre sunt tradita. *Chrysoftomus* (hom. 38. in op. imperf.) Cum autem dicat, *Neque Patrem aliquis cognoscit nisi Filius,* non hoc ait, quoniam eum omnes omnino ignorent, sed quoniam cognitione, qua ipse eum novit, nullus eum scit; quod & de Filio dicendum est. Neque etiam de ignoto quodam Deo hoc dixit, sicut Marcion ait. *Augustinus* 1. de Trin. (cap. 8.) Denique propter substantiæ inseparabilitatem sufficienter aliquando nominatur vel solus Pater, vel solus Filius; nec inde separatur utriusque Spiritus, qui proprie dicitur Spiritus veritatis. *Hieronymus* (super *Nemo novit Filium,*) Erubescat ergo Eunomius hæreticus tantam sibi notitiam Patris, & Filii, quantum (5) ad alterutrum inter se habent, vendicans. Quod si inde contendit, & suam consolatur insaniam, quia sequitur, *Et cui voluerit filius revelare;* aliud est natura æqualitate nosse quod noveris, aliud revelantis dignatione. *Augustinus* 7. de Trin. (cap. 3.) Revelatur autem Pater per Filium, idest per verbum suum. Si enim hoc verbum quod nos proferimus temporale & transitorium, & seipsum ostendit, & illud de quo loquimur; quanto magis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, quod ita ostendit Patrem, sicuti est Pater, quia & ipsum ita est, & hoc est quod Pater? *Augustinus* de *Quest. Evang.* (Lib. 2. cap. 1.) Cum autem diceret, *Nemo novit Filium nisi Pater,* non dixit, *Et cui voluerit Pater Filium revelare;* sed cum diceret, *Nemo novit Patrem nisi Filius,* addidit, *Et cui voluerit Filius revelare:* quod non ita intelligendum est quasi Filius à nullo possit agnosci nisi à Patre solo. Pater autem non solum à Filio, sed etiam ab eis quibus revelaverit Filius: sic enim potius dictum est, ut intelligamus Patrem, & ipsum Filium per Filium revelari, quia ipse est mentis nostræ lumen; & quod postea intulit, *Et cui voluerit Filius revelare,* non tantum Patrem, sed etiam Filium accipiamus: ad totum enim quod dixit, illatum est: Verbo enim suo se Pater declarat; verbum autem non solum id quod verbum declaratur, sed etiam seipsum declarat.

*Chry-*

*Chrysoftomus* (hom. 39. in Matth. op. imp.) Si ergo Patrem revelat, & seipsum revelat. Sed hoc quidem, ut manifestum dimisit; illud autem posuit, quia scilicet poterat esse dubium. Per hoc etiam instruit quod adeo concordat Patri quod non est possibile aliquem venire ad Patrem, nisi per Filium: hoc enim maxime scandalizabat, quod videbatur Deo contrarius; & ideo per omnia hoc destruere studuit.

(k) *Chrysoftomus* (hom. 39. ante medium.) Per ea quæ dicta sunt, in desiderium sui discipulos constituerat, ostendens ineffabilem suam virtutem; nunc autem eos ad se vocat, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* *Augustinus de Verbis Domini* (serm. 10. in princ.) Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias? Sed si angustientur vasa carnis, dilatentur spatia caritatis. Ad quid ergo dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis,* nisi ut non laboretis? *Hilarius* (can. 11. circa finem.) Legis etiam difficultatibus laborantes, & peccatis sæculi oneratos ad se advocat. *Hieronymus.* Gravia enim esse onera peccati, & *Zacharias* Propheta testatur cap. 5. iniquitatem dicens sedere super talentum plumbi. Et *Psalmistia* Psal. 37. complevit: „ Iniquitates meæ aggravatæ sunt super me. “ *Gregorius* 30. *Moral.* (cap. 23. super illud *Job* 39. „ Quis dimisit onerum? “ cap. 12. in nov. exempl.) *Asperum* etiam jugum, & durum servitutis pondus est subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio deiectionis affixerant, post ex pavore amissionis premunt. *Chrysoftomus* (hom. 39. in Matth.) Non autem dicit, *Venite ille & ille;* sed omnes qui in sollicitudinibus, qui in tristitiis, qui in peccatis effici, non ut expectam noxas, sed ut solvam peccata. Venite, non quoniam indigeo vestra gloria, sed quia volo vestram salutem: unde dicit: *Et ego reficiam vos:* non dixit, *Salvabo solum;* sed quod multo amplius erat, *Reficiam vos;* idest, in omni quiete constituiam. *Rabbanus.* Non solum exonerabo, sed interna refectioe saturabo. *Remigius.* Venite, dicit, non pedibus, sed moribus, non corpore, sed fide. Ille namque est spiritualis accessus, quo quisque Deo appropinquat: & ideo sequitur: *Tollite jugum meum super vos.* *Rabbanus.* Jugum Christi est Evangelium Christi, quod Judæos, & Gentes in unitate (1) fidei

conjungit, & sociat. Hoc autem super nos jubemus sumere, idest in honore habere, ne forte subtrus ponentes, idest illud prave contemneres, lutulentis pedibus vitorum conculcemus; unde subditur: *Discite à me.* *Augustinus de Ver. Dom.* (serm. 10.) Non mundum fabricare, non in ipso mundo miracula facere; sed quia mitis sum, & humilis corde. Magnus esse vis, à minimo incipere. Cogitas magnam fabricam constituere celsitudinis? De fundamentum prius cogita humilitatis; & quanto quisque vult (2) superponere majus ædificium, tanto alterius fundat fundamentum. Quo autem pervertitur est cacumen nostri ædificii? Uique ad conspectum Dei. *Rabbanus* (super *Tollite jugum meum super vos.*) Discendum ergo nobis est à Salvatore nostro ut sumus mites moribus, & humiles mentibus: neminem lædamus, neminem contemnamus, & virtutes quas foris ostendimus in opere, intus teneamus in corde. *Chrysoftomus* (hom. 39. in Matth.) Et ideo incipiens divinas leges, ab humilitate incipit; & maximum præmium ponit, dicens: *Et invenietis requiem animabus vestris.* Hoc maximum est præmium: non enim alteri efficeris utilis leges, sed teipsum quietescere facis; (3) & ante futura hanc tibi dat promissionem; in futuro autem perpetua gaudebis requie. *Chrysoftomus* (ibidem.) Et ne formidarent, quia dixerat *onus,* & jugum subdit: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* *Hilarius.* Jugum autem suavis, & levis oneris blandimenta proponit, ut credentibus ejus boni scientiam præstet quod ipse solus novit in Patre. *Gregorius* 4. *Moral.* (cap. 39. super illud *Job* 3. „ Impii cessaverunt: “ cap. 32. in nov. exemp.) Quid grave mentis nostræ cervicibus imponit qui vitare omne desiderium quod perturbat, præcipit, qui declinare laboriosa mundi hujus itinera monet? *Hilarius* (can. 11. in fine illius.) Et quid jugo ipso suavius, quid onere levius? (4) Probatiorem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, presentibus non capi, nolle inferre alteri quod sibi perpeti sit molestum. *Rabbanus* (hoc loco,) Sed quomodo jugum Christi suave, cum supra dicitur cap. 7. *Arcta est via que ducit ad vitam?* Sed quod angusto initio incipitur, processu temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur. *Augustinus de Verbis Domini* (serm. 9.) Item qui jugum Domini intrepida cervice subierunt, tam difficilia pericula patiuntur ut non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocari videantur. Sed profecto (5)

(1) *Al. omittitur fidei.* (2) *Al. superimponere.* (3) *Al. & ante futuram hanc tibi dat retributionem.* (4) *Al. Probatiorem fieri.* (5) *Al. deest.*



aderat Spiritus Sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorum renovaret de die in diem; & gustata requie spirituali in affluencia deliciarum Dei in spe futuræ beatitudinis, omnia præsentia deliniret aspera, & omnia gravia relevaret. Secari, & uri se homines patiuntur, ut dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur. Quibus tempestatibus, vel pænis (1) importuni sunt, mercatores, ut divitias perituras acquirant? Sed qui has non amant, eadem gravia patiuntur; qui vero amant, eadem quidem, sed non gravia patiuntur. Omnia enim sæva, & immania, prorsus facilia, & prope nulla efficit amor: quanto ergo facilius ad veram beatitudinem caritas facit quod ad misere-

(1) P. Nicolajus ex Aug. legit impleti.

## CAPUT XII.

(a) **I**n illo tempore abiit Jesus per sabbato; discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisei autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis. At ille dixit eis. Non legistis quid fecerit David, quando esurivit ipse, & qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Aur non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo major est hic. Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium, numquam condemnassetis innocentes. Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.

(b) Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? ut accusarent eum. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior est homo ovis? Itaque licet sabbatis benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati, sicut altera.

(c) Exeuntes autem pharisei, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. Jesus autem sciens, secessit inde, & secuti sunt eum multi: & curavit eos omnes. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent; ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem ego elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ: ponam spiritum meum super eum, & iudicium Gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quasi fatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet; donec ejiciat ad victoriam iudicium: & in nomine ejus Gentes sperabunt.

(d) Tunc oblatus est ei demonium habens, cæcus, & mutus; & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est Filius David? Pharisei autem audientes dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.

(e) Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se, desolabitur, & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisum est: quomodo ergo stabit regnum ejus?

(f) Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.

(g) Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? Et tunc domum illius diripiet.

(h) Qui non est mecum, contra me est; & qui non congregat mecum, spargit.

(i) Ideo

riam, quantum potuit, cupiditas fecit? Hieronymus (super *Sugum meum suave est*). Quomodo etiam levius est lege Evangelium, cum in lege homicidium, & adulterium, in Evangelio ira, concupiscentiaque puniantur? In lege enim multa præcepta sunt, quæ Apostolus non posse compleri, plenissime docet: in lege opera requiruntur; in Evangelio voluntas queritur, quæ effi- effectum non habuerit, tamen præmium non amittit. Evangelium ea præcipit quæ possimus, ne scilicet concupiscamus: hoc in nostro arbitrio est; lex cum voluntatem non puniat, punit effectum, ne adulterium facias. Finge in perfectione aliquam virginem prostitutam: hæc apud Evangelium, quia voluntate non peccat, virgo suscipitur; in lege quasi corrupta repudiatur.

(1) Ideo dico vobis: omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemie non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.

(k) Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis, os loquitur: Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.

(l) Dico unum vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

(m) Tunc responderunt ei quidam de scribis, & pharisæis, dicentes: Magister, volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

(n) Viri Ninivite surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia poenitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic.

(o) Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, querens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & intrantes habitant tibi; & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit generationi huic pessima.

(p) Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres stabant foris, querentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, querentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est.

(a) **G**lossa (ord. in princ. cap. 12.) Narrata prædicatione cum miraculis unius anni ante questionem Joannis factis, transit ad ea quæ facta sunt in alio anno, scilicet post mortem Joannis, quando jam in omnibus Christo contradicitur: unde dicitur: *In illo tempore abiit Jesus per sabbato. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 34.)* Hoc autem quod hic sequitur, sine ulla repugnantia questione commemoratur à Marco, & à Luca; sed illi non dicunt: *In illo tempore*: unde falsis Matthæus rei gesta hic ordinem tenuit; illi autem recordationis suæ: nisi latius accipiat, quod dictum est, *In illo tempore*, id est quo hæc multa, & diversa gerebantur: unde concipitur ista omnia post mortem Joannis completa esse. Cum enim Joannes discipulos suos ad Christum misisset, creditur post paululum decollatus fuisse: unde cum dicitur, *In illo tempore*, interminatum tempus ponere videtur. *Chrysostomus (hom. 40.)* Quare autem per sabbato eos ducebat, quia omnia præsevit, nisi quia volebat solvere sabbatum? Volebat quidem, sed non simpliciter; ideoque non sine causa id solvit, sed dans occasionem rationa-

S. Thom. Op. Tom. VIII.

(1) Al. & nullam.

bilem, ut & legem cessare faciat, & legem non offendar: & ideo hic, ut Judæos mitiget, naturæ necessitatem præmittit; & hoc est quod dicitur: *Discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare.* Quamvis in peccatis quæ manifesta sunt, nulla sit excusatio: neque enim occidens, ad sui excusationem potest furorem prætere, neque qui adulterat, concupiscentiam, sed ne ullam aliam causam; hæc tamen famem inducens, discipulos ab omni excusatione liberat. *Hieronymus (in princ. Com. in cap. 12. Matth.)* Ut autem in alio Evangelio legitur, propter nimiam importunitatem, nec vescendi quidem habebant locum; & ideo quasi homines esuriebant. Quod autem segetum spicas manibus confricant, & in eisdem consolantur, vitæ austerioris indicium est, non præparatas epulas, sed simplicem cibum querentium. *Chrysostomus (ut supra.)* Tu autem admire discipulos, qui ita erant oppressi (1) quod nullam corporaliū habebant curam, sed contemnebant carnalem mensam; & fame oppugnabantur, nec tamen desistebant à Christo: nisi enim eos cogeret vehementer esuries; nequaquam hoc fecissent. Quid autem pharisei

D 3